

defonso enim certum est (*De Script. eccles. c. 8*) **A** Justum Toletanum trium annorum duntaxat episcopum, ejusdem regis Sisenandi tempore, novendecimque ante eum diebus obiisse; et consequenter sub eodem rege, qui tres annos et undecim menses regno præfuit, creatum fuisse. Quo cum bene stat Justo Toletano antiquiorem vel paucis diebus Julianum Bracarensem, tertio Sisenandi anno, fuisse; atque in Petri sub ejusdem Sisenandi principia florentis locum succedere potuisse.

Attamen inde, ne in præceptis sese dent, statim pedem revocare debent Pseudo-Juliani defensores. Fateri enim his necessarium erit Petrum ex episcopo Bracarensi Sisenandi tempore translatum fuisse ad Narbonensem Ecclesiam: quod præterquam quod Bracarense male habebit, sanctissimumque, qualis

audit, episcopum parum deceat nulla spe majoris fructus æqualem pro æquali commutare sedem, impossibile factu est; cum concilii IV Toletani tempore Narbonensem Selva habuerit vetus antistes, Julianusque Bracarensem, et adhuc Petrus in vivis fuerit. Vixit enim, eodem Pseudo-Juliano teste, usque ad 646. Quonam ergo abiit Petrus, cum sub annum 634 aut circiter, et Sisenandi initia, locum fecit in Bracarensi Ecclesia Juliano? Nam plena tunc temporis erat Narbonensis cui jam diu præfuerat, præfuitque etiam usque ad 638 annum quo sexto concilio Toletano interfuit Selva. His salebris cum se extricaverint, Achillem eorum nonnihil habebimus. Et jam satia multa. Sed tanti constare solet ea quæ antiquitatis specimine sese veuditant fide quam forte invenerunt exauctorare.

## SANCTI FRUCTUOSI

BRACARENSIS EPISCOPI

# REGULA MONACHORUM.

[Ex Brochie, Cod. Regularum.]

### MONITUM IN REGULAM SEQUEMTEM.

Duas regulas monasticas scripsit sanctus Fructuosus, regio Gothorum sanguine ortus, et ab adolescentia vitæ monasticæ cultor, primo Complutensis abbas, deinde episcopus Dumiensis, ac tandem Bracarensis archiepiscopus, multorum monasteriorum Pater et conditor. Primam regulam ex sancti Benedicti disciplina desumptam pro monachis suis Complutensibus conscripsit; secundam pro hominibus cujusvis status et conditionis. Prior ergo sancti Fructuosi regula longe ante initum episcopatum scripta erat in usum Complutensium monachorum, quibus primum monasterium condidit, continetque xxv capita; circa capitulum tamen numerum in impressis aliquod discrimen invenitur, quam in mss. Codicibus, prout vir doctissimus Mabillonius notavit in suis *Annalibus Benedictinis*, tom. I, lib. XIII, et alibi, ubi hujus regulæ convenientiam cum regula sancti Benedicti describit, quod vix ovum ovo sit similis; cum sanctus Fructuosus passim sancti Benedicti sententias et institutiones, imo non raro ipsis verba in suas regulas transferat. Secunda regula xx capitula continens, quæ et communis dicitur, ab altera adeo diversa est, ut cl. Menardus existimet illam non composuisse sanctum Fructuosum jam anno 670 defunctum; sed nunquam non laudandus Mabillonius contrarium probat, et argumenta incontestabilia adducit in suis observationibus præviis ad hujus sancti episcopi Vitam inter Acta sanctorum ordin. sancti Benedicti reperiendam. Et quidem hæc regula communis a sancto Fructuoso conscripta videtur post adeptum episcopatum, ad auferendum intolerabilem abusum jam aliquo tempore apud Hispanos grassantem, quando nimirum, nullo habito sexus discrimine, conjugati simul cum uxoribus, liberis ac servis, domicilia sibi in modum monasterii componebant, suis cupiditatibus inservientes, atque luxuriam, avaritiam et superbiam excolentes, nulli regulæ monasticæ stricti, nec alicui præposito vel abbati regulari subjecti; quem enim suum abbatem appellabant, illi non adeo parebant, quam voluntates suas approbant. Id vero vitæ rusticæ genus ideo multi laici elegerunt, ut hoc pacto a publicis curis et tributis exi-

**B** merentur, utpote sub quadam specie monasticæ professionis viventes. Contra hunc abusum surrexerunt concilii Ilerdensis Patres, qui in canone tertio decernunt ut nullus laicus vel ecclesiasticus capellam vel ecclesiam ab illis ædificatam auderet in speciem vel formam monasterii erigere, nisi congregatio ibidem collecta viveret secundum regulam monasticam ab episcopo approbatam, et juxta leges diocesanas. Nullus autem hunc abusum gravius insectatus est quam sanctus Fructuosus, prout ex exordio hujus regulæ communis omnino constat, ubi talia conventicula non monasteria, sed animarum perditionem appellat, etc. Et, ut huic malo obviam iret, pro illis hominibus vere ad Christum conversis hanc suam secundam regulam condidit, binis reliquis amplius temperatam, atque utriusque sexus infirmitatibus magis accommodatam, ita ut novum monasticæ vitæ genus introduxisse videatur. Nam, juxta hanc regulam, in monasteria admittebat senes et anus, conjugatos etiam utriusque sexus cum liberis suis septimum annum ætatis egressis; ita tamen, ut viri cum filiis seorsim degerent in monasteriis a sequiori sexu separatis; quemadmodum et feminæ cum suis filiabus vivere debebant a viris separatæ; ita ut quilibet sexus habuerit suos distinctos superiores, viri abbatem, feminæ abbatissam, sive quoscunque alios superiores a regula præscriptos. Denique sanctus Fructuosus in omnibus suis regulis professionem, quam vocamus monachorum, appellat pactum, quo initiandi promittebant se omnia cœnobii sui instituta observaturos, neque unquam ab ejus restrictione vel tantisper recessuros. Hujus pacti specimen etiam in regula sancti Isidori invenit Mabillonius, quod et ex Codice vetustissimo Lirinensi desumptum suis *Annalibus Benedictinis* inseruit tomo I, lib. XII, pag. 363. Sed longe prolixius est pactum sancti Fructuosi hic ad calcem hujus regulæ communis appositum, incipiens a quadam professione fidei emittenda circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, quam faciendam publice existimavit recte piissimus episcopus, ob latecentem forsam adhuc hæresin Arianam apud Hispanos.

## INCIPIUNT CAPITULA REGULÆ S. FRUCTUOSI EPISCOPI.

1. De dilectione Dei et proximi.
2. De orationibus.
3. De præpositis, vel officio.
4. De habitu et veste monachorum.
5. De mensis.
6. De operatione.
7. De ferramentis, vel utensilibus.
8. De obedientia, et sessione monachi.
9. De hebdomadariis.
10. De hospitibus, peregrinis, vel infirmis.
11. De nitore et affectu monachi.
12. De cautela monachi.
13. De delictis.

- A 14. De excommunicatis.
15. De clamoria et lascivis.
16. De mendace, fure, et percussore monacho.
17. De culpatis.
18. De jejuniis.
19. De cibis.
20. De officio abbatis vel præpositi.
21. De conversis, qualiter debent suscipi.
22. De professione conversi.
23. De primi conversione.
24. De senibus.
25. De die Dominico.

*Expliciuut capitula.*

## INCIPIT REGULA

## A. D. ET P. N. FRUCTUOSO EDITA IN PACE.

## CAPUT PRIMUM.

*De dilectione Dei et proximi.*

Post dilectionem Dei, et proximi, quod est totius perfectionis vinculum, et summa virtutum, hoc de reliquo ex regulari traditione conservari in monasteriis definitum est. Primum incumbere orationi nocte ac die, et præfinitarum horarum observare mensuram; nec vacare ullatenus, aut torpere a spiritualibus quemquam operum exercitiis diuturnis temporibus.

## CAPUT II.

*De orationibus.*

Primæ horæ observandæ mensura sancita est, dicente Propheta: *Mane astabo tibi, et videbo te, quia tu es Deus nolens iniquitatem (Psal. v).* Et iterum: *Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam (Ibid.).* Secunda quoque inter primam et tertiam constituta quasi quidem limes ponitur; unde et a monachis necesse est ne otiosa ducatur. Ideo constitutum est ut trino psalmodum obsequio frequentetur, quæ et primæ consummet officium, et subsequenter tertiæ incipiat scandere gradum. Ita quoque in reliquis institutum est hunc servandum esse ordinem horis, tertia, sexta, nona, duodecima videlicet, atque vespera, ut ante et post trinas has legitimas horas peculiare orationes prosequantur obsequia. Nocturno igitur tempore prima noctis hora sex orationibus celebranda est; ac deinde decem psalmodum concentu cum laude ac benedictionibus consummanda in Ecclesia est. Deinde valefacientes invicem, et reconciliationi ac satisfactioni alterutrum insistentes, laxant mutuo debita, et pietate prona, qui segregati a cœtu fraterno ob negligentiam suam fuerant merentur indulgentiam. Cum demum pergentes ad cubilia, atque in unum cuncti coeuntes ob perfectionem pacis, et reorum absolutionem, cantatis tribus psalmis, juxta morem, cum laude, et benedictione, Symbolum Christianæ fidei communi omnes recitent voce, ut fidem suam puram coram Domino ostendentes, si quod dubium non est fieri vel accidere, ut nocturno quisquam tempore evocetur a corpore, commendatam jam fidem suam, et expiatam ab omni scandalolo

B conscientiam proferat ante Deum. Post deinde ad cubilia summo cum silentio, et habitu tacito, gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alterutrum, vel saltem alium respicere audens, pergat ad lectulum suum, ubi tacite orationi insistens, psalmosque recensens, ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitationem atque orationem consummet; nec strepere, nec mutire ausus, aut excreare, cum gratia nocturni somni capiat silentium.

## CAPUT III.

*De præpositis vel officio.*

Præpositus sane in medio consistens dormitorio, quoaduque cuncti quiescant, omnibus jara cubantibus circumeat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde se jactet, aut extra regulam occultis conversationibus vacet; et ut plenius perscrutans gesta singulorum, et merita intelligat, quem quomodo veneretur atque suscipiat. Similiter et aut decanus alius, aut quisquam e fratribus bene probatus assistat in secessu communi, quousque quieti se tradant cuncti; ne aut fabulas inter se ventilent vanas, aut ridiculis studeant, aut quodlibet noxiale vitium consuecant. Quia institutum est regulariter nullum omnino monachum in secessu loqui debere, sed aut psalmos recensere, si plures sunt, aut certe aliquid meditari voce, si solus est. Ita ante mediam surgentes noctem duodenos per choros recitent psalmos, secundum consuetudinem, prius tamen quam surgant cæteri, a vigiliariis fratribus præpositus excitetur, et cum benedictione sua et signum moveatur, et cunctorum lectula ab eo priusquam consurgant strenue visitentur. Hoc quoque in omnibus nocturnis orationibus gerat, ut semper prior surgat præpositus, quam ad consurgendum reliqui montentur, ut ipse videat quis quomodo jaceat, ne aliquam lasciviam per lecuriam quietionis suæ dormiens incurrat. Post pausat paululum medium noctis persolvant officium, ubi quatuor responsoria sub ternorum psalmodum divisione concinantur. Sic post mediam noctem, si hiemis tempus est, sedentibus cunctis, unus medio residens relegat librum, et ab abbate, vel a præposito,

disserente cæteris simplicioribus quod legitur pate-  
 fiat. Quod quidem et æstate post vesperam conser-  
 vetur, ut priusquam compleant liber legatur. Ita  
 denique duodenis iterum cantatis psalmis adeant  
 cubilia, paululumque quiescentes, gallicinio jam so-  
 nante, recitatis tribus psalmis, cum laude et bene-  
 dictione sua matutinum celebrent sacrificium. Quo  
 peracto, quia meditationi incumbendum est, mox ut  
 ad locum consuetæ meditationis pervenerint, ternos  
 recitent psalmos, et orationem ex integro fini-  
 gent, meditentur usque ad ortum solis. Sane in omnibus  
 horarum singularum orationibus, nocturno ac diurno  
 tempore, ad omnem psalmorum finem, gloria can-  
 tantes Deo prosternentur in terram, eo scilicet or-  
 dine, ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut  
 iterum surgat, sed omnes summa æqualitate consur-  
 gant, extensisque ad cælum palmis orando per-  
 sistant, sicut et æqualiter merguntur. Sabbatorum  
 vero et Dominicarum noctium curriculis, seno mis-  
 sarum super adjecto officio, senis etiam missis vigi-  
 liis cum senis responsoriis celebrentur, ut Resur-  
 rectionis dominicæ solemnitas ampliori officiorum  
 psalmodia magis honoretur, quod et præcipuarum  
 festivitatis missarum præcedente nocte competenter  
 officiorum genere de qualibet solemnitate semper est  
 celebrandum.

#### CAPUT IV.

##### *De habitu et veste monachorum.*

Vestimenta non multa nec superflua sint; duabus  
 tantum cucullis villata et simplici, et uno palliolo,  
 ternisque tunicis, et staminis duabus cujusque ne-  
 cessitatis querimonia sufficiens est. In ipsis quo-  
 que calcæariis hoc utendum est, ut hieme pedules  
 calceent, qui voluerint, a die Kalendarum Novem-  
 brium usque ad Kal. Maias; reliquis æstivis mensibus  
 caligariarum tantum solatiis muniendi sunt. Femoralium  
 usus cuiquam est permittendus, maxime his qui mi-  
 nisterio implicantur altaris. Sed et hoc qui studere  
 voluerit, reprehendendus non erit, cum hucusque  
 nunc constet pleraque hunc usum monasteria etiam  
 in his regionibus non habere. Instrumentis compe-  
 tens adhibenda est disciplina, nec amplius quidquam  
 ab aliquo requirendum, quam unum stragulum, cal-  
 nabenque villatum, mappulam, et duabus lanatis  
 pellibus arietum. Quidquid in veste, vel cultu est  
 monachorum, non peculiariter apud unumquemque  
 habendum, sed sub manu unius fratris spiritalis in  
 una cella recondendum est; qui que cum necessaria  
 poposcerit, petenti cuiquam congrua statura muta-  
 toria tribuat; nec quisquam e monachis suum asse-  
 rens dicat: codex meus, tabulæ meæ, vel reliqua.  
 Quod verbum si de ore ejus effugerit, pœnitentiæ  
 subjacebit, ne velut propria quælibet in monasterio  
 habere videatur; sed sint illis, sicut scriptum est,  
 omnia communia (Act. 17). Unde et studere iisdem  
 custos debet, ut summam in his vestibus deligendis  
 habeat solertiam, et cuique, ut dictum est, apta dis-  
 tribuat. Nec quisquam de hoc murmurare præsumat,  
 cum sibi distributa aliorum conspiciat indumenta ve-

stiri. Subolæ sane, acus, ac fila diversa pro con-  
 suendis, emendandis, sarcicndisve vestibus, ipsi tri-  
 buenda sunt ab abbate; et cum necessitas poposcerit,  
 lavandi atque emendandi habeat facultatem. Quidquid  
 in vestimentis, calceamentis, vel lectariis monacho-  
 rum vetustum fuerit, dum nova percipiunt, totum ab  
 abbate pauperibus erogetur.

#### CAPUT V.

##### *De mensa.*

Cum hora nona ad vescendum convenitur, dicto  
 psalmo, residentibus aliis, unus legat in medio. In  
 cibo sit strepitus nullus, nemo comedens loquatur.  
 Si quid deest in mensa, is qui præest signo dato vel  
 nutibus silenter petat, et indicet ministranti quid  
 inferri, vel quid auferri, sit a mensa necesse. Prius-  
 quam ad mensam conveniant, præcedat oratio. Post-  
 quam a mensa surrexerint, sequatur oratio; nec  
 ante quisquam alicubi præsumat progredi, quam  
 coram altario Christo gratiarum resolverit actio-  
 nes. Carnem cuiquam nec gustandi, nec sumendi,  
 est concessa licentia; non quod creaturam Dei ju-  
 dicemus indignam, sed quod carnis abstinencia uti-  
 lis et apta monachis æstimetur. Servato tamen mo-  
 deramine pietatis erga ægrotorum necessitudines  
 vel longe proficiscentium qualitates, ut et vola-  
 tilium esibus infirmi sustententur, et longinquo  
 itineri destinati. Si aut a principe, vel episcopo spe-  
 rantur, pro benedictione et obedientia degustare non  
 metuant, servantes apud se de reliquo continentiam  
 consuetam. Quod si quis monachus violaverit, et  
 contra sanctionem regulæ usumque veterum vesci  
 carnibus præsumperit, sex mensium spatio retru-  
 sioni et pœnitentiæ subjacebit. Vivant enim solis  
 oleribus, et leguminibus, raroque pisciculis fluviali-  
 bus, vel marinis; et hoc ipsum quoties se opportu-  
 nitas Fratrum, vel festivitas solemnitatis dederit  
 alicujus, servata in his et similibus causis discre-  
 tione majoris. Per dies singulos vini potionibus  
 sustententur, juxta providentiam tamen abbatis, vel  
 præpositi, hæc ipsa potionis parcimonia temperetur;  
 ita duntaxat, ut inter quatuor fratres sextarius divi-  
 datur. Sabbato vero vel Dominicis diebus ad vesper-  
 um una potio adjiciatur. Quilibet ex monachis jeju-  
 nium solvere non præsumat, nec priusquam in com-  
 mune reficiant cum cæteris, vel postquam refecerint,  
 quidquam quod ad potandum vel edendum pertinet  
 gustare vel contingere audeat, vel occulte quodlibet  
 peculiariter recondere, vel habere præsumat. In  
 præcipuis solemnitatibus tria pulmenta et totidem  
 potiones fratribus præbeantur.

#### CAPUT VI.

##### *De operatione.*

In operando hæc ratio observetur. Verno, vel  
 æstate, dicta prima, commoneantur decani a præ-  
 posito suo quale opus debeant exercere, atque illi  
 reliquos admoneant fratres; tum demum, dato signo,  
 sumptis ferramentis, congregentur in unum, factaque  
 oratione, pergunt recitantes ad opus, usque ad ho-  
 ram diei tertiam. Revertentes ad ecclesiam, tertia

celebrata, residentes locis suis studeant lectioni, sive orationi. Verum si opus tale est quod non intermittatur, in opere ipso tertia dicatur, et sic recitando revertantur ad cellam, et consummata oratione, ablutisque manibus, confestim ad ecclesiam conveniant. Et si reficiendum ad sextam est, peracto officio sextæ, ab oratione pergant ad mensas, refectique congrue iterum facta oratione quiescant, et fiat silentium usque ad horam nonam. Deinde celebrata nona, si necesse est, revertantur ad opus, quousque ad duodecimæ officium dictum conveniant; sin autem residentes taciti per cellulas suas, hi quorum jam ætas perfecta est et conscientia pura meditentur eloquia Domini, vel opus quodlibet intra cellulam injunctum exercentes, nusquam prorsus, excepta causa necessitatis, audeant progredi, nisi fuerint a seniore præcepti. Juniores vero coram suis residentes decanis, lectioni, vel recitationi, vacent; nec se, inconsulto seniore, junior a sua se auferat secessionem, aut ad alterius decani locum audeat pergere; sed tam in cessione quam etiam in operatione, semper decania a decania segregata consistat. Juniores quoque suos jugiter decanus ille commoneat, ne in aliquam negligentiam decendant, sed viros spirituales et sanctos illis semper in exemplo proferat, ut illorum contemplatione assidue ad meliora proficiant. Autumni vero vel hiemis tempore, usque ad tertiam legant, usque ad nonam operentur, si tamen est quodlibet opus quod fiat. Post nonam iterum usque ad duodecimam legant; a duodecima meditentur usque ad vesperam. Ad opera cum egressari sunt, orationem facturi invicem conveniant; qua expleta, incipiat præpositus psalmum, et sic recitantes pergant ad operationem. Cum operantur, non inter se fabulas vel cachinnos conserant, sive luxuriorent, sed operantes intra se recitent taciti. Illi vero qui pausant, aut psallant aliquid, aut recitent pariter, aut certe sileant. Peculiare opus institutum est, ut nullus exerceat monachus, quasi sibi proprie vindicandum, aut cuiuslibet, cum voluerit, sua præsumptione distribuendum. Nec quodlibet opus sine præceptione et cohibentia senioris suscipiendum, inchoandum, sive faciendum est, sed in omni re quidquid abbas vel præpositus præceperit, hoc agendum.

#### CAPUT VII.

##### *De ferramentis et utensilibus.*

Ferramenta vel utensilia quælibet artificum sub uno recondenda sunt conclavi, et custodia unius fratris industrii et providi; quique segregatim illa idoneo collocans loco, prout res expetit, poscentibus ad operandum fratribus tribuet; atque ad vespertinum suis ea colligens locis, curam habeat, ne quid de his aut pereat, aut per negligentiam æruginet, vel quolibet occasione vilescat.

#### CAPUT VIII.

##### *De obedientia et sessione monachi.*

Cum vacant ab operatione fratres, nullus se e proprio citra permissionem decani vel præpositi sui mo-

A vere audeat loco, neque conserere fabulas, deambulationesque peragere inquietas et otiosas; sed residens, operi manuum, sive lectioni, intentus, aut in orationis contemplatione defixus, signo universalis monitus surgat concitus, communi oratione aut operatione detinendus, alias neque respicere, neque appellare alium, citra permissionem sui senioris, est quisquam e fratribus permittendus. In habitu quoque et gressu monachi ita definitum est, ut nulla diversitas esset, sed omnia cultu vestimentorum, non vario, sed uno et sincero manerent, ingressu nullus strepitus, neque saltus amplos tensis passibus facerent, nec alibi, dum pergunt aspicerent, nisi ante vestigia sua, cum loquuntur, et lenta et silens vox esset, juramento et mendacio carens, nec fraudem studens, neque multiloquium diligens; murmurationem omnino, et contradictionem, et rancorem nesciens, vituperare et judicare indemnem aliam pertimescens. Obedientia præceptum est regule, ut impossibilibus quoque rebus opere atque affectu ostentetur, et teneatur usque ad mortem videlicet, sicut et Christus factus est Patri obediens usque ad mortem (*Philipp. II*). Simili quoque studio et patientiæ virtus est observanda, ut nusquam nec edole violetur, nec injuria, nec contumeliis omittatur, sed in sustentatione et tolerantia roboretur. Ruditas denique et parcimonia ciborum et lectulorum duritia amplectatur. Peculiaritas aut in utensilibus, aut in vestimentis, aut in quibuslibet rebus, vilissimis tantem et abjectis, omni modo vitetur. Quia abundantie monachis est et infamia quidquam possidere superfluum, aut reservare proprium, vel occultum, quod non longe ab Ananiæ et Saphiræ exemplo aggregatur. Munus denique quodlibet, sive epistolæ, nemo monachus accipiat, neque usquam sine benedictione sui senioris progrediat, nec cum laico loquatur, nec cum monacho non jussus stet, sive fabuletur, vel alium aliquem proximum videat, vel extraneum, regulari sententia præfixum est. Nec jejunium solvat quilibet ex monachis, nec priusquam in commune reficiant cæteri, vel postquam refecerint cum aliis, quidquam quod ad edendum vel potandum pertinet degustare præsumat, consuetudine jussu est disturbata.

#### CAPUT IX.

##### *De hebdomadariis.*

Hebdomadarii per singulas sibi succedant hebdomadas, orationem cum benedictione in ecclesia percipientes abbatis. Et quando exeunt ita die Sabbati explicata vespera, congregatis in unum ac residentibus fratribus et meditantibus, manibus propriis aqua calida singulorum abluant pedes, aliis lavantibus, et aliis extergentibus linteo, sicque prostrati coram abbate in conventu eodem veniam simul et benedictionem ab omnibus generaliter petant. Sicque oratione commendati abbatis pergant ad ministeria fratribus exhibenda, plenissimam pro labore suo tempore matutino benedictionem in ecclesia percepturi.

## CAPUT X.

*De hospitibus, peregrinis et infirmis.*

Hospitibus, vel peregrinis fratribus, cum summa reverentia charitatis et ministracionis obsequia sunt præbenda, et ad vesperum lavandi pedes; et si ex itinere sunt confecti, oleo perungendi sunt. Lectaria, læcerna, et stramina mollia exhibenda, ac proficiantibus juxta posse cœnobii viaticum imponendum. Ægroti omni miseratione et compassiõe fovendi sunt, eorumque længuores congruo relevandi sunt ministerio. Tales tamen sunt eis ministri delegandi, qui et palmenta streane præparent, et devoto eis ministerio obsecundent; et de his, quas illis residua sunt, neque fraudem faciant, neque occulte comestione se illicita polluant.

## CAPUT XI.

*De nitore et affectu monachi.*

Nullus alterius manum teneat, aut ad punctum temporis uspiam sine benedictione secedat. Nitor et pulchritudo vestium, cultusque, atque ambitio rerum temporalium, ab omni penitus monacho debet exsulare. Vana gloria, superbia, contemptusque turgidus, et effrenatæ locutionis usus abdicetur ab omnibus. Pius enim, et oblectabilis, humilis atque modestus, esse debet affectus monachi; quin et omni spurcicia careat, et audientis vel videntis animus ad amorem et timorem Divinitatis accendat, ut illud possit implere, quod Dominus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (Matth. v.)*

## CAPUT XII.

*De cautela monachi.*

Cautela, et moderatio, et pudicitia, fides et sinceritas, ornant habitum monachi. Duplex enim nullo modo esse debet famulus Christi; sed veridicus, et simplex, et humilis supercilio, fastus carens effigie. Coram seniore suo prior nullus ambulet, neque non jussus sedeat, vel loquatur, sed honorem fratri seniori et reverentiam, ut concedet, competenter exhibeat.

## CAPUT XIII.

*De delictis.*

Omnes actus, sive occasionum necessitudines, suo semper necesse est ut monachus referat Patri, et ex illius cognoscat discretione, vel judicio, quid attendat. Cogitationes, revelationes, illusiones, et negligentias proprias seniori nullus obcelet, verecundia vel injuria faciente, vel contumacia perurgente. Sed semper hujusmodi vitia cum lacrymis, et compunctione cordis, atque humilitate verissima abbati, præposito, sive probatis senioribus, revelanda sunt, et consolatione, oratione, castigatione, sive etiam exercitatione idonei operis castiganda.

## CAPUT XIV.

*De excommunicatis.*

Cum excommunicatur, vel arguitur quisquam pro negligentia sua, exercebit humilitatem, quousque percipiat orationem; nec se audebit inter alios commiscere, vel cuiquam occulte conjungere; sed omni-

A bus ad rationum studia convenientibus, ille prostratus humo, cingulo sicut opertorioque abjecto poscet veniam negligentiae suae. Hoc etiam is ab officio regredientibus exhibebit. Similiter quoque et refectiõnis tempore coram refectorio astabit vultu deposito et habitu, quousque fratrum compassiõe solatus veniam percipiat, quam deposcit. Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compassiõe vel miseratione refoveat, neque ad contradictionem vel superbiam confortare præsumat. Quelibet causa in conventu communi fratrum est ventilanda, et juste ac subtiliter perscrutandum, ne fortasse dolositate et malitia senioris innocens junior opprimatur. Abbati vel præposito juxta personarum acceptiõnem non liceat judicare, neque aliquem fraudulenter vel injuste damnare; sed, ut dictum est, spiritualium et veridicorum fratrum hujusmodi rebus est retinenda sententia, qui sibi Dei judicium ponentes præ oculis, non permittant pessime opprimere animam innocentis.

## CAPUT XV.

*De clamoris et lascivis.*

Clamorem in locutione monachum, aut iracundum, ridiculosum, subsannatorem, sive detractorem, esse non decet. Qui hujusmodi est, et sæpe castigatus non fuerit emendatus, flagellis verberibusque curandus est, et acriter emendandus, crebraque curiositate et industria a vitio reducendus. Lascivus, petulans et superbus, sæpius suspendatur a cibo, et biduanis sive triduanis maceretur inediis, operisque adjectione conficiatur; sermone et colloquio castigetur. Si ista perpeus sæpe, minime fuerit correctus, plagis emendetur instantius, reclusionisque divinæ coarctetur angustiis, brevissime panis et aquæ esu sustentandus, donec se spondeat a vitio recessurum. Inobedientem, murmuratorem, contradictorem, sive furtivis comestionibus atque bibitionibus vacantem, suprascripta coercebit sententia, et in omnibus monachorum excessionibus congrua animadversio adhibenda est secundum abbatis et seniorum judicium, conveniens negligentiae, ætati, sive personæ; eritque summa discretiõe providendum, ne gravia pro levibus inferantur, aut e contrario pro maximis levis et parva ultio erogetur. Mensura namque et pondere æquo, justitiæque pia, et miseratione, continuo Pater vel præpositus debet excellere, ut sic vulnus curet ægroti, quatenus salutem, et non debilitatem inferat membri, quia sicut subditorum vitia per præpositos, ita et præpositorum negligentias per semetipsum Deus judicabit.

## CAPUT XVI.

*De mendace, fure, et percussore monacho.*

Mendacem, furem, percussorem quoque et perjurum, quod Dei servum non decet, corripi primum a senioribus verbis oportet, ut recedat a vitio. Post hæc si nec sic se emendare distulerit, tertio coram fratribus convenietur, ut desistat tantisper errare. Si nec sic se emendaverit, flagelletur acerrime, et trium mensium spatio excommunicatiõnis vindictam

suscipiens, sub pœnitentiæ districtione solus recludatur in cella; de vespere in vesperi ex hordeacei panis sex uncis, et aquæ mensura parvula sustentandus. Ebriosus quis si repertus in cœnobio fuerit, superiori sententiæ subiacebit; sive is qui citra permissum abbatis, sive præpositi, alicubi litteras destinaverit, vel ab alio destinatas acceperit. Monachus parvulorum aut adolescentium consecrator, vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi deprehensus fuerit inhiare, comprobata patenter per accusatores verissimos, sive testes, causa, publice verberetur; coronam capitis, quam gestat, amittat, decalvatusque turpiter opprobrio pateat; omniumque sputamenti oblitus in facie, probraque æque suscipiat; vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur; et triduana per hebdomadas singulas refectio panis exigui hordeacei vespertino tempore sublevetur. Post deinde expletis his mensibus, aliis sex mensibus succedentibus sub senioris spiritualis custodia, segregata in corticula degens, opere manuum et oratione continua sit contentus; vigiliis et stetibus, et humilitate, subjectus, et pœnitentiæ lamentis veniam percipiat; et sub custodia semper et sollicitudine duorum spiritualium fratrum in monasterio ambulet, nulla privata locutione vel coactio deinceps juvenibus conjungendus.

## CAPUT XVII.

*De culpatis.*

Quisquis frater pro qualibet negligentia vel reatu arguitur, vel excommunicatur, et tamen humiliter veniam petit, vel confitetur lacrymabiliter, congrua ei remissionis et indulgentiæ medela tribuatur. Prociaci autem, et persistenti, atque per superbiam vel controversiam deneganti, amplior et districtior animadversio, flagellorumque pœna irrogabitur. Duo in uno lecto non jaceant; nec dormire extra cubile proprium cuiquam licentia pateat. Intervallum singulorum lectorum singulis cubitis intercedat, ne dum adinvicem proxinant corpora, nutriant libidinis incentiva. In tenebris nemo loquatur alteri, nec accedat ullo modo junior quilibet ad lectum alterius post Completam. Lectula singulorum abbas vel præpositus bis in hebdomada revolvat, atque perscrutetur, ut videat ne quis superfluum aliquid vel occultum habeat. Nocturnum tempus peculiaribus orationibus et sacris vigiliis maxima ex parte ducendum est, propter lucifugas dæmones, servorum Domini deceptores. Spina si inhæserit corpori, citra benedictionem sui senioris nullus evellet, ungulas sine benedictione nullus abscindat. Fascem cujuslibet oneris absque benedictione et permissione senioris quisquam deponere e collo proprio non præsumat.

## CAPUT XVIII.

*De jejuniiis.*

Jejuniis ista oportet tempora observare, a Pascha usque ad Pentecosten reficiendum ad sextam est; et monophagia, id est... conservanda per diem. A Pentecoste usque ad octavam decimum Kalendas Qe-

læbris interdiana jejunia retinenda sunt, excepto, una quadragesima, quæ festivitatem sanctorum Justi et Pastoris præcedit, sollicite conservanda est: in qua usque ad nonam quotidie jejunandum est, et vino penitus abstinendum. Servanda tamen abbati discretio est, ut cum hos gravi labore perspexerit onerari, ad refectionem singulas portiones tribuat. Ab octavo decimo Kalendas Octobris usque ad Pascha sollicite jejunandum est, et in Quadragesima vino et oleo penitus abstinendum. Ad mensam qui tardius venerit, prohibeatur a cibo. Ad orationes diurnas, qui ad primum psalmum non occurrerit, introire in oratorium cum cæteris non audeat, sed pœnitentiæ delegabitur. Hoc idem sustinebit, qui nocturnis orationibus usque ad tertium psalmum tardius venerit, aut post tres psalmos dictos in choro se miscere conatus fuerit.

## CAPUT XIX.

*De cibis.*

Ministri, sive præpositus, cum fratribus reficiant, et mutatos sibi cibos præparare non audeant; nec extra communem refectionem quidpiam edant. Hoc etiam abbas studeat agere, quoties advententes, vel filii Ecclesiæ occurrence sibi non aspexerit obviare. Abbas vel præpositus fratres in furtiva passim, prout voluerint, comestione non inquinent, nisi fortasse patula unumquemque aut ægritudo, aut defectionis instantia, defatigat: cui quidem aperte cum concessis reliquorum congruum ordinabit annonam, ætati sive valetudini competentem.

## CAPUT XX.

*De officiis abbatis vel præpositi.*

De officio monachi non prout voluerint evagantur, nisi consulto præposito, sive decano: cum seniore ad hoc ipsum delegato, cum necessitas compellit, egrediantur. Abbas, vel præpositus, divinis semper officiis et vigiliis intersit, et prius ipsi agant quod alios docent. Abbas, vel præpositus, e propriis semper cœnobii monachis eligantur; vir sanctus, discretus, gravis, castus, charus, humilis, mansuetus, et doctus; qui divinis experimentatus documentis, omnibus præfatis rebus bene fuerit eruditus; qui in abstinentia præcellat, in doctrina refulgeat, exquisitas epulas mensæ lautioris consuetudinemque contemnat; vini nimii perceptionem respuat; cunctis in commune fratribus ut pater proprius piissimusque provideat; quem nec ira subita immoderate dejiciat, nec superbia extollat, nec mœror ac pusillanimitas frangat, nec libido corrumpat; qui et in patientia discretionem, et cum ira exhibeat lenitatem, qui que sic egentibus atque pauperibus pareat, ut ministrum se et non prælatum tantum Christi visceribus recognoscat; cujusque tanta debet sermonis et vitæ consonantia esse, ut id quod docet verbis, confirmet operibus sedulis, et bis acuto præcedenti gladio, quidquid alios informat verbo, jugi ipse gerat studio, ut nec sermonem operatio destruat, nec e contra operationem bonam sermo inconveniens frangat; sed sint ibi cuncta ita in Patre convenientia, sicut

chordarum concordia in lyra et cithara ; quæ tunc A dulcissimum ex se sonum percussæ reddunt, cum artificis pulsante manu temperato æquitatis ordine, et non confusæ inæqualitatis præcipitatione, feriuntur. Ter per omnem hebdomadam collecta faciendæ est, et regulæ Patrum legendæ, dissereudum, vel a seniore et castigatio ac sermo ædificationis proferenda ad fratres : negligentis emendandæ ; excommunicatis miserendum, et procacibus sive durecervicibus iterum irroganda censura.

## CAPUT XXI.

*De converso, qualiter debeat suscipi.*

Conversum de sæculo Patrum decreta docent non suscipiendum in monasterio, nisi prius experimentum sui in opere et penuria, in opprobriis dederit et convictis; quique decem diebus persistens ad januam cœnobii, orationibus et jejuniis, patientiæ et humilitati operam dederit. Sicque anno integro uni spiritali traditus seniori, non statim commiscendus erit congregationi; neque integra fratrum diversoria accedet, sed delegata in exteriori corte cellula perfruetur; ubi omnem sinceriter exerceat obedientiam. Hospitiis sive peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, et omnia humiliter ministeria exercebit, fascemque lignorum suo quotidie dorso ferens hebdomadariis tribuet. Atque ita in omni penuria et utilitate subactus, expleto anno probatus moribus, et laboribus elimatus, percepta in ecclesia benedictione, fratrum societati donetur; unique decano delegetur cunctis honorum operum exercitiis edocendus. Quod si quilibet conversus bonis ac puris moribus enitens, abbatis vel aliorum fratrum spiritualium fuerit iudicio comprobatus, pro merito et puritate suæ conscientiæ celerius poterit fratrum consortiis misceri, secundum quod abbatis vel fratrum optimorum censuerit deliberatio faciendum.

## CAPUT XXII.

*De professione conversi.*

Omnis conversus cum ad cœnobium venerit, seque suscipi postulaverit, confestim in conspectu totius congregationis adductus, sciscitabitur ab abbate utrum liber, an servus, utrum bona et spontanea voluntate, an fortasse qualibet compulsus necessitate, converti voluerit. Cumque ejus spontaneam ad conversionem præviderit existere voluntatem, neque quolibet eum conditionis nexu astrictum esse perspexerit, accipiet pactum ejus, omnem suæ professionis continens originem. In quo etiam ita se idem convertens alligabit, ut omnia se instituta cœnobii mente devota profiteatur implere, nec ea ullo unquam tempore violare, neque a restrictione cœnobii, quam expetiit, polliceatur ullatenus evagari. Cumque hac se professione astrinxerit, subijciatur supradictis, per bonorum operum industriam quandoque Domino placiturus.

## CAPUT XXIII.

*De primi conversione.*

Qui prius in monasterio conversus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in ecclesia, prior loquatur, cum interrogantur fratres pro aliqua questione, prior psalmum dicat, in choro primus consistat, hebdomadam primus faciat, manum in mensam primus extendat. Nec ætas sola inter fratres requirenda, sed conversatio est, et laboris studiique propositum. Unde et hæc discretio senioris est præstolanda, ut quem quomodo erga Dei amorem cultumque ferventem viderit, sic honoret. Non enim generis dignitas, aut rerum opulentia, quam quisque habuit in sæculo, vel ætatis grandævitas exquirenda; sed vitæ rectitudo, et ardentissimæ fidei merita debent esse pensata. Ille enim potior, qui Deo proximior, judicandus est. Monachi in monasterio sancte et pudice atque honeste viventes persistent; laici foris abbatis vel præpositi mandata peragant.

( Duo postrema capita in Mss. desiderantur. )

## REGULA MONASTICA COMMUNIS.

[Ex eodem Brochie, Cod. Regularum.]

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS

INCIPIUNT CAPITULA REGULÆ SANCTI FRUCTUOSI EPISCOPI.

1. Ut nullus præsumat suo arbitrio monasteria facere, D nisi communem collationem consuluerit, et hoc episcopus per canones et regulam confirmaverit.
2. Ut presbyteri sæculares non præsumant absque episcopo, qui per regulam vivit, aut consilio sanctorum Patrum, per villas monasteria construere.
3. Qualiter debeat eligi abbas in monasterio.
4. Quales monachi recipiantur in monasterio.
5. Qualiter debeant monachi subditi esse suo ablati.
6. Qualiter debeant viri cum uxoribus ac filiis absque periculo vivere in monasterio.
7. Qualiter infirmi in monasterio debeant tueri.
8. Qualiter debeant senes gubernari in monasterio.
9. Qualiter debeant vivere qui greges monasterii delegatos habent.
10. Quid debeant observare abbates.
11. Quid observare debeant præpositi.
12. Quid debeant observare decani.
13. Quibus diebus se congregent ad collectam fratres.
14. Qualiter debeant abbates esse solliciti erga excommunicatos.
15. Qualiter monasteria virorum ac puellarum custodiri debeant.
16. Quales fratres debeant cum sororibus uno in monasterio habitare.
17. Qualis debeat esse consuetudo salutandi in monasterio virorum ac puellarum.
18. Ut non recipiantur in monasterio nisi qui radicatus omni facultate vidati sunt.
19. Quid in monasterio debeant observare, qui peccata graviora in sæculo commiserunt.
20. Quid observandum sit de monachis, qui a proprio monasterio per vitium dilabantur.

*Explicium capitula.*

## INCIPIT REGULA S. FRUCTUOSI.

## CAPUT PRIMUM.

*Ut nullus præsumat suo arbitrio monasteria facere, nisi communem collationem consuluerit, et hoc episcopus per canones et regulam confirmaverit.*

Solent enim nonnulli ob metum gehennæ in suis sibi domibus monasteria componere, et cum uxoribus, filiis, et servis, atque vicinis, cum sacramenti conditione in unum se copulare, et in suis sibi, ut diximus, villis et nomine martyrum ecclesias consecrare, et eas falso nomine monasteria nuncupare. Nos tamen hæc non dicimus monasteria, sed animarum perditionem, et Ecclesiæ subversionem. Inde surrexit hæresis et schisma, et grandis per monasteria controversia. Et inde dicta hæresis, eo quod unusquisque suo quid placuerit arbitrio eligat; quod elegerit, sanctum sibi hoc putet, et verbis mendacibus defendat. Hos tales ubi reperitis, non monachos, sed hypocritas et hæreticos, esse credatis. Et hoc optamus, et omnino vestram sanctitatem quaesumus, cum talibus nullam conversationem jubemus habeatis, neque eos imitemini. Et quia suo arbitrio vivunt, nulli seniorum volunt esse subjecti, et nil de propria substantia pauperibus erogant, sed adhuc aliena, quasi pauperes, rapere festinant, ut cum uxoribus et filiis plus quam cum in sæculo erant lucra conquirant. Et hæc faciendo perditione animarum non curant, ut non animarum, sed corporum plus quam seculares homines emolumenta habeant, et pro suis pignoribus more luporum doleant, et de die in diem non retroacta peccata plangant; sed cum scandalo semper studio rapacitatis anhelant; et non de poena futura cogitant, sed unde uxores et filios pascant, acrius anxiantur; et cum ipsis vicinis, cum quibus prius se cum juramentis ligaverant, pro hoc tepefacti cum grandi jurgio et discrimine se ab invicem separant; et res quas ante per imaginariam charitatem expendendas communiter miscerant, non jam simpliciter, sed cum exprobratione unus alteri raptat. Quod si aliqua ex illis imbecillitas apparuerit, propinquos, quos in sæculo reliquerunt, cum gladiis, et fustibus, ac minis sibi adjuutores adducunt, et qualiter hæc disrumpant in prima dudum conversatione excogitant. Et vulgares et ignari cum sint, talem præesse sibi abbatem desiderant, ut ubi se voluerint convertere, quasi cum benedictione suas voluntates faciant, et quicquid eis placuerit dicere, dicant; et alios more instigationis dijudicant, et servos Christi dente canino dilaniant; et hoc agunt, ut semper cum sæcularibus et hujus mundi principibus commune consortium habeant, et amatores mundi cum mundo diligant, qualiter immundi cum mundo pereant. Tali se sæpe exemplo taliter alios vivere invitant, et infirmis mentibus offendiculum parant. De talibus Dominus in Evangelio ait: *Cave a falsis fratribus, qui veniunt ad vos in vestibus ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructi-*

*bus eorum cognoscetis eos, quia non potest arbor mala fructus bonos facere (Matth. vii).* In fructu operationem dixit, in foliis verbum. Et ut eos in opere cognoscatis, verba illorum pensare poteritis, quia, cupiditatis face succensi, non possunt Christi pauperibus adæquari. Christi vero pauperes habere consuetudinem, nihil in hoc mundo cupiant habere, ut possint Deum et proximum perfecte diligere. Et qualiter supradictos lupos possint occidere, Dominum cognoverunt dicentem: *Ecce mitto vos, sicut oves in medio luporum. Non portatis sacculum, neque peram (Matth. x).* Proinde Christi servus, qui cupit esse verus discipulus, nudam crucem ascendat nudus, ut mortuus sit sæculo, Christo vivat crucifixus. Et postquam deposuerit corporis sarcinam, et hostem viderit trucidatum, tunc se putet devicisse mundum, et cum sanctis martyribus æquiparasse triumphum.

## CAPUT II.

*Ut presbyteri seculares non præsumant absque episcopo, qui per regulam vivit, aut consilio sanctorum Patrum, per villas monasteria construere.*

Solent nonnulli presbyteri simulare sanctitatem, et non pro vita æterna hoc facere, sed amore mercenariorum Ecclesiæ deservire; et sub prætextu sanctitatis divitiarum emolumenta sectari; et non a Christi amore provocati, sed a populi vulgo incitati, dum formidant suas perdere decimas, aut cætera lucra relinquere, conantur quasi monasteria edificare. Et non more apostolorum hoc faciunt, sed ad instar Ananiæ et Saphiræ. De ipsis ait beatus Hieronymus: Non res suas pauperibus erogaverunt, non per exercitium in monasterio laboriosam vitam duxerunt; non mores suos reprehenderunt, ut assidua meditatione corrigerentur. Non fleverunt, non in cinere et cilicio corpus versaverunt; non poenitentiam peccatoribus prædicaverunt, ut cum Baptista Joanne dicerent: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum (Matth. iii); non Christum imitati fuerunt, qui dixit: Et non veni ministrari, sed ministrare (Matth. x); et: Non veni voluntatem meam facere, sed Patris (Joan. vi).* Et de cathedra iste quando ducitur ad cathedram, id est, de superbia, præesse isti desiderant fratribus, non prodesse; et cum sua timide reservant, aliena concupiscunt, quia non dispensant; et prædicant quod ipsi non observant; et cum episcopis, sæcularibus principibus terræ, vel populi, communem regulam servant; et ut sunt Antichristi discipuli, contra Ecclesiam latrant; et quibus machinamentis eam disrumpant, arietes fabricant; et cum inter nos venerint, dimerso capite gressu tenui sanctitatem simulant. Hi sunt hypocritæ, qui aliud sunt, et aliud esse videntur, ut stulti qui eos viderint, imitentur. Ipsi fures et latrones, Dominica voce attestante; qui non per ostium, quod est Christus,



sed disrupto pariete Ecclesie per murum precipitati ingrediuntur (*Joan. x*); et si aliquis fidelium recte vivere capit, eis obstaculum faciunt, ut possunt, non profectum. De talibus Dominus ait: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei, cæci hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum; nec vos intratis, nec alios permittitis intrare (Matth. xxiii)*. Hi tales sicut de suis lucris, sic de nostris gratulantur detrimentis; et quod non audierunt adversum nos quid falsum proferant, omni contentione componunt, et quod non facientes cognoscimus, qui in crimine deprehensi publice per plateas annuntiantes, defendunt; et qui nobis a monasterio proprio vitio delabuntur, ab ipsis ovando suscipiuntur, tuentur, et defenduntur; et cum sint monasteriorum desertores; plerique ex ipsis qui nos detrahunt ab illis optime honorantur, et, quod nefas est dicere, honoribus cumulantur. Hos tales cum videritis, melius odium quam consortium habeatis, de talibus Propheta ait: *Nonne qui te oderunt, Deus, oderam illos? perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi (Psal. cxxxviii)*.

## CAPUT III.

*Qualis debeat eligi abbas in monasterio.*

Primum prævidendus est abbas, vitæ sanctæ institutione duratus, non conversatione novellus; sed qui per diuturnum tempus in monasterio sub abbate desudans inter multos est comprobatus, et non habet hereditatem in sæculo; sed in toto Israel absque sorte in terra repromissionis est verus Levita, ut *pars hereditatis matris Dominus libera cum Propheta voce dicat (Psal. xv)*; in tantum, ut omnem causandi usum radicitus a suo corde repellat; et si fas fuerit, per nullam occasionem in iudicio cum hominibus contendat; sed si quis eum incitaverit, et tunicam tulerit, qualiter contendat ad vocem continuo dominicam, et pallium relinquat (*Matth. v*). Si certe aliquis insecutor monasterii accesserit, et aliquid auferre conatus fuerit, et per vim tollere voluerit, uni de laicis causam injungat, et ipsi fidelissimo Christiano, quem vita bona commendat, et fama mala non reprobatur; qui et res Monasterii absque peccato iudicet, et quærat; et si usus jurandi est, hoc faciat sine juramento et pœna; et non tantum pro rerum lucro, sed ut persecutorem humilem et mansuetum ad veniam postulandam reducat. Quod si persecutor in sua perseveraverit contumacia, et plus lucra dilexerit, quam animam, statim causator cum eo contendere dimittat. Abbas vero absque ullo usu causandi, et eraso rancore stomachi, simpliciter in monasterio cum suis monachis vivat, et nullam cum sæcularibus causandi licentiam habeat.

## CAPUT IV.

*Quales monachi recipiantur in monasterio.*

Monachi, qui ob religionis obtentum monasterium ingredi petunt, primum ante fores tribus diebus et noctibus excubent, et ex industria jugiter ab hebdomadariis exproberentur; quibus diebus peractis, postmodum interrogentur, utrum liberi sint an servi. Quod si servi sunt, non recipiantur, nisi libertatem

a proprio domino præ manibus attulerint presentandam; ceteri vero sive liberi sive servi sint, divites an pauperes, conjugati an virgines, stulti an sapientes, iuscii an artifices, infantuli an seves, si quispiam horum fuerit, acrius percunctentur, utrum recte abrenuntiaverint, an non; si omnia fecerunt quæ in Evangelica voce veritatis audierunt, quæ ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possides, meus non potest esse discipulus (Luc. xiv)*. Et illud quod dives quondam adolescens, qui omnia quæ in lege præcepta sunt, se implisse jactabat, ad quem Dominus ait: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me; et habebis thesaurum in cælo (Matth. xix)*. Iterum ad eum Dominus loquitur: *Qui vult esse perfectus? Qui cum apostolis patrem et matrem, reteque et naviculam dimittit. Et qui omnia dixit, nihil de propria facultate reservari mandavit; et non cuilibet, sed cuncta Christi pauperibus erogavit; et non dedit patri, non matri, non fratri, non propinquo, non consanguineo, non filio adoptivo, non uxori, non liberis, non Ecclesie, non principi terræ, non servis, exceptis libertatis confirmandas. Cumque ita, ut diximus, fuerit sciscitatus, postmodum in ultimo gradu recipiatur. Quod si horum, quos supra diximus, more pietatis vel unum nummum alicubi male abrenuntians reliquit, statim eum foras repelli mandamus, quia non eum in apostolorum numero, sed Ananiæ et Saphiræ sequacem videmus. Sciat eum non posse in monasterio in mensuram venire monachi, neque ad paupertatem descendere Christi, neque humilitatem acquirere, neque obediens esse, neque ibidem perpetuo perdurare; sed cum aliqua occasio pro aliquo a suo abbate monasterii distringendi aut emendandi accesserit, continuo in superbiam surgit, et acedia spiritu inflatus, monasterium fugiens derelinquit.*

## CAPUT V.

*Qualiter debeant monachi subditi esse suo abbati.*

In tantum debent monachi præceptis obedire majorum, sicut Christus Patri obediens fuit usque ad mortem: quod si aliter fecerint, sciant se viam quam quærebant perdidisse. Nemo valit ad Christum, nisi per Christum. Proinde monachi talem sibi debent facere consuetudinem, per quam a tramite recto nullatenus possint deviare. Primum discant voluntates proprias superare, et nihil suo arbitrio vel minimum aliquid agere; nihil loqui nisi ad interrogata, et cogitationes de die in diem nascentes cum jejunio et oratione expellere, et suo abbati nunquam celare. Et quidquid fecerint, absque murmuratione faciant, ne, quod absit, murmurando ea sententia pereant, qua perierunt ii qui in deserto murmuraverunt (*Num. xi seq.*). Illi perierunt manna manducando, et isti in monasterio murmuratores Scripturas recitando. Illi manna manducando mortui sunt, et isti scripturas legendo et audiendo spirituali fame quotidie moriuntur. Illi murmurando terram repromissionis non intraverunt, et isti murmu-

rando paradisi promissionis terram non ingrediuntur. Grande malum, de Ægypto exire, mare transvadasse, tympanum cum Moyse et Maria, Pharaone submerso, tenuisse, manna manducasse, et terram repromissionis non intrasse: malum pejus, de Ægypto istius sæculi exire, mare baptismi cum poenitentiae amaritudine quotidie pergere, tympanum pulsare, id est, carnem cum Christo crucifigere, et manna, quod est cœlestis gratia, manducare; et cœlestis regionis terram non intrare. Timendum est ergo, charissimi fratres, et cogitandum, et prævidendum, qualem viam arripere debeant, qui per Christum ad Christum ire desiderant, et liquide audiant quod observare debeant. Obedientes sint abbati usque ad mortem; in tantum, ut nullam propriam faciant voluntatem, sed Patris. Nihil tam charum Deo habetur, si voluntas propria frangatur. Hinc Petrus ait: *Nos qui dimisimus omnia, et secuti sumus te, quid nobis erit? Non solum dixit: Dimisimus omnia, quid nobis erit? sed addidit: Secuti sumus te (Matth. xix).* Multi omnia dimittunt, sed Dominum non sequuntur. Quare? quia non patris, sed suam voluntatem faciunt. Qui vult ergo arctam et angustam viam invenire, et eam sine offendiculo pergere, et pergendo non perdere, et non perdendo ad Christum pervenire, prius discat voluntates proprias superare, et nihil quod propria voluntas corporis quæsierit facere, et in Patris obedientia usque ad finem vitæ perseverare. Hæc proprie via arcta et angusta, quæ ducit ad vitam.

#### CAPUT VI.

*Qualiter debeant viri cum uxoribus ac filiis absque periculo vivere in monasterio.*

Cum venerit quisquam cum uxore vel filiis parvulis, id est, infra septem annos, placuit sanctæ communi regulæ ut tam parentes quam filii in potestatem se tradant abbatis, qui et ipse abbas omni sollicitudine quid observare debeant rationabiliter eis disponat. Primum nullam corporis sui potestatem habeant, neque de cibo aut indumento recogitent; neque facultates aut villulas, quas semel reliquerunt, ulterius possidere præsumant; sed tanquam hospites et peregrini subjecti in monasterio vivant; et neque parentes solliciti sint pro filiis, neque filii pro parentibus. Neque communem confabulationem habeant, excepto si non auctoritas prioris præceperit. Illos tamen parvulos, quos adhuc in crepundia videmus tenerulos, propter misericordiam concessam habeant licentiam, quando voluerint, ad patrem aut matrem pergant, ne fortasse parentes pro ipsis in vitio murmurationis cadant; quia solet pro eis grandis in monasterio murmuratio evenire. Sed inter utrosque foveantur, quousque quantulumcunque regulam cognoscant, et semper instruantur, ut sive sint pueri, sive puellæ, monasterio provocentur ubi habitare futuri erunt. Et qualiter ipsi infantes in monasterio nutriantur, planam ostendimus viam, si Dominus dederit commeatum. Eligatur cellarius bonæ patientiæ probatus, quem communis elegerit collatio, et ab omni excuse-

tur monasterii servitio, et coquinæ officio, ita ut semper cellarium teneat, propter ipsos parvulos, senes, infirmos, vel hospites. Et si major fuerit congregatio, junior ei deur pro ipso servitio discurrendo, qualiter ipsi infantes ab ipsius imperio ad horas congruas copulentur, et accipiant alimentum. A sancto Pascha usque octavo Kalendas Octobris manduceat per singulos dies quatuor vices. Ab octavo Kalendas Octobris usque ad Kalendas Decembris tres vices, a Kalendis Decembribus usque ad sanctum Pascha in potestate sit ipsius cellarii. Cæterum vero sic instruantur, ut absque benedictione et imperio nihil in ore suo miltere debeant: qui et ipsi infantes suum habeant decanum; qui plus de eis intelligit, ut regulam super eos observet; et ab eo semper admoneantur, ne aliquid absque regula faciant aut loquantur, aut certe in mendacio, furto, vel perjurio deprehendantur. Quod si in aliquo quæ diximus deprehensi fuerint, continuo ab ipso suo decano virga emendentur. Et ipse cellarius eis pedes et vestimenta lavet; et qualiter in sanctitate proficiant, cum omni intentione edoceat, ut a Domino plenam remunerationem accipiat, et veritatis præcepta dicentis audiat, qui ait: *Sinite parvulos venire ad me, ne prohibentis eos, talium enim est regnum cælorum (Matth. ix).*

#### CAPUT VII.

*Qualiter infirmi in monasterio debeant teneri.*

Infirmi quolibet morbo defessi in una jaceant domo, et uni, qui aptus est delegentur; et tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus, nec urbium delicias requirant, sed quod necesse habuerint, cellarius et præpositus prævideant. Ipsi vero infirmi tanta sollicitudine admoneantur, ut de ore eorum nec quantulumcunque vel levis sermo murmurationis procedat, sed in sua infirmitate cum hilari mente sine intermissione, et ablata murmurationis occasione, et vera cordis compunctione, semper Deo gratias agant; et frater qui eis ministrat, nullo pacto offendere audeat. Quod si aliquis, ut diximus, ex ore eorum murmurationis processerit scrupulus, ab abbate increpentur, et ne talia supradicta facere præsumant, admoneantur, ita ut ille eos accuset, qui hoc ministerium inunctum habet.

#### CAPUT VIII.

*Qualiter debeant senes gubernari in monasterio.*

Solent plerique novitii senes venire ad monasterium, et multos ex his cognoscimus necessitatis imbecillitate polliceri pactum, non ob religionis obtentum. Cum tales reperti fuerint, acris necesse est arguantur; et inter cætera instrumenta nisi ad interrogata non loquantur. Habent enim et ipsi consuetudinem mores pristinos nunquam abhorretere, et ut olim fuerunt docti, vanis fabulis evagari. Et cum forte ab aliquo fratre spiritali corriguntur, continuo in iracundiam prosiliunt, et per diuturnum tempus tristitia morbo stimulantur, et a rancore malitiæ penitus non desistunt. Et cum frequenter et immoderate in tali vitio dilabuntur, tristitia cum deserit, solita consuetudine in fabulis et risu frena laxantur. Proinde cum

tali cautione in cœnobio introducuntur, ut die noctuque non fabulis evagentur, sed in singultu et lacrymis, cinere et cilicio versentur, et retroacta peccata cum gemitu cordis pœniteant, et pœnitenda ulterius non committant. Et quantum habuerunt in peccando prave suæ mentis intentionem, duplum habeant in lamentando plenam devotionem. Quia per septuaginta et eo amplius annos abrupte peccaverint, et ideo congruum est ut arcta pœnitentia coerceantur, quia et medicus tanto profundius vulnera abscondit, quantum putridas carnes videt. Tales ergo per pœnitentiam veram corrigantur, ut si noluerint, excommunicatione continuo emendentur. Quod si bis septies admoniti ab hoc vitio non fuerint emendati, deducantur in conventu majorum, et ibidem denuo discutiantur, et si se corripere non permiserint, foras projiciantur. Eos vero senes, quos quietos, simplices, humiles, et obedientes, in oratione frequentes, et tam propria quam aliena peccata deplorantes, et quotidie de vita periclitantes, et Christum semper in ore habentes, et si secundum vires otio non vacantes, et non suo, sed majorum arbitrio pendentes, et propinquitatis affectum perfecte deserentes, et cuncta quæ possident, non suis, sed Christi pauperibus erogantes, et nihil sibi reservantes, et dilectionem Dei et proximi tota mente et fortitudine tenentes, et die noctuque in lege Domini meditantes esse cognoscimus, pia miseratione sicut infantulos fovendi, sicut patres honorari mandamus, ita ut a pistrino et coquinarum vice excusentur, et ab agro et duro labore quieti vacent, excepto quod aliqua leviora opera eis injungantur, ne fessa ætas ante tempus frangatur: cibi tamen quibus reficiantur, teneri et molles ex industria ab hebdomadariis coquantur, et carnes et vinum propter imbecillitatem moderate eis præbeantur; et omnes ad edendum in una mensa copulentur, æqualiter cibo et potu uno reficiantur. Vestimentum vero et calceamentum sic eis præbeantur, ut absque foco frigoris ab eis asperitas arceatur.

#### CAPUT IX.

*Qualiter debeant vivere, qui greges monasterii delegatos habent.*

Qui greges monasterii accipiunt alendos, tantam sollicitudinem super eos gerere debent, ut nulli damnus in frugibus inferant, et tanta vigilantia astutiaque sollicitentur, ne a bestiis devorentur, ut fragosa et abrupta montium et inaccessibleia vallium prohibeantur, ne ad præcipitium defluant. Quod si per incuriam, aut pastorum desidiam, ex supradictis aliqua provenierit negligentia, continuo pedibus seniorum provolventes, et tanquam gravia peccata deplorantes, dignam pro culpa per diu agant pœnitentiam, qua peracta supplices recurrant ad veniam; aut si parvuli sunt, virga emendationis accipient censuram. Et tali delegentur probatissimo, qui et in hoc servitio aptus fuit in sæculo, et eos custodire desiderat bono animo, ut nunquam de ore ejus procedat vel levis murmuratio. Sed et parvuli per vicissitudines ei dentur juniores, cum quibus ferre possit ipsum laborem. Et

A sic eis præbeatur vestimentum et calceamentum, quantum necesse est ad suffectum. Et pro servitio unius tantum quem diximus, non tamen omnes in monasterio inquietentur. Et quia solent nonnulli qui greges custodiunt murmurare, et nullam se pro tali servitio putant habere mercedem, cum se in congregatione orantes et laborantes minima vident, audiant quid dicunt Patrum regulæ, tacentes recogitent: et Patrum exempla præcedentium recognoscentes sibi-metipsis denuntient, quia patriarchæ greges paverrunt, et Petrus piscatoris gessit officium, et Joseph justus, cui virgo Maria desponsata exstitit, faber lignarius fuit. Proinde isti non debent despiciere quas delegatas oves habent, quia exinde non unam, sed multas consequuntur mercedes, inde recreantur parvuli, inde foventur senes, inde redimuntur captivi, inde suscipiuntur hospites et peregrini. Et insuper vix tribus mensibus per pleraque monasteria abundaretur, si sola quotidiana fuisset paximatio in hac provincia plus omnibus terris laboriosa. Quamobrem qui hoc servitium habuerit injunctum, cum hilaritate cordis obediat, et certissime credat quod obedientia a quovis periculo liberat, et magnum sibi ante Deum præparat fructum, sicut et inobediens incurrit animæ detrimentum.

#### CAPUT X.

*Quid debeant observare abbates.*

Primum horas canonicas, id est, primam, missis operariis in vineam; tertiam, sanctum Spiritum in apostolos descendisse; sextam, Dominum in crucem ascendisse; nonam, spiritum emisisse; vesperam, David cecinisse, dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Psal. cxl.); mediam noctis, quia ea hora clamor factus est: *Ecce sponsus venit, eam obviat ei* (Math. xv), et ut ea hora cum ad judicium venerit, non nos dormientes sed vigilantes inveniat; gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse. Has horas canonicas ab Oriente usque in Occidentem catholica, id est, universalis indesinenter celebrat Ecclesia. Proinde ergo abbates per monasteria tota mentis intentione, cum fletu et cordis contritione, abiata laboris aut itineris occasione, cum omni monachorum congregatione celebrare debent. Et ubi eis properandi fuerit necessitas, et horarum cognoverint metas, continuo humo prostrati indulgentiam a Domino supplices petant, et suis horis peculiaribus, id est, secunda, quarta, quinta, septima, octava, decima et undecima, orare non pigeant, qualiter septem et octo Salomonis congruat dictum: *Da partem septem nec non et octo* (Eccl. xi), ut per septiformis gratiæ Spiritum, et octo beatitudines, ac resurrectionis diem, liberis gressibus per scalam Jacob, Christo sibi desuper innitente, quindecim gradibus cœli conscendere valeant regionem. Secundo, ut per capita mensium abbates de uno confinio uno se copulent loco, et mensuales litanias strenue celebrent, et pro animabus sibi subditis auxilium Domini implerent, quia de ipsis in tremendo judicio cum grandi discussione sperent se

Deo reddere rationem. Tertio, qualiter vivere debeant, ibi disponant; et tanquam a senioribus comprehensi ad cellas revertantur subplacitati. Quarto, retroacta sanctorum Patrum per scripturas sciscitantes revolvant, ut ab ipsis quod facere debeant agnoscant, ut intus ac foris, ante et retro, plenam mentem oculis habeant, ne, quod abest, in aliquam hæresin devolvantur, et pereant. Pro hoc ergo semper in communi concilio fratrum æqua lance tanquam in penso persistent, ut præterita recordando, et futura providendo, et præsentia examinando, hæresum non patiantur stimulos. Quinto, ut cum fratribus advenientibus hospitibus et peregrinis in una mensa communiter vivant, quia de ipsis Dominus ait: *Hospes eram, et collegistis me* (Matth., xxv). Sexto talem sibi consuetudinem debent facere abbates, ut omnem cupiditatem et avaritiam a se radicitus arceant. Si hoc malum non esset, idolorum servitutem eam Apostolus non dixisset (Galat. ii). Et per hoc virus monachi cognoscimus mentem sauciari; et a nullo vitio penitus unquam poterit liber esse, qui tali consuetudinis vinculo fuerit obligatus; et in Dei et proximi dilectione nunquam erit firmatus, quia hoc quod in sæculo concupiscimus, sine dubio proximo invidemus. Unde et Patres sancti Spiritu sancto repleti, ut possint Deum et proximum perfecte diligere, studuerunt in hoc mundo nihil habere. Et quia sine aliquo esse possumus, ipsum debemus habere, quod nos non pigeat, cum necesse fuerit, egenti proximo reddere, et a charitate Dei et proximi dilectione nunquam animam relaxare: cuius videlicet fortitudo charitatis vera sanctæ Ecclesiæ voce laudatur, cum per Canticorum Canticum dicitur: *Valida est ut mors dilectio* (Cant. viii). Virtuti etenim mortis dilectio comparatur, quia sine dubio mentem quam semel ceperit a delectatione mundi funditus occidit. Tales ergo debent abbates esse, ut possint Deum et proximum perfecte diligere, oculos laxos a concupiscentia mala istius sæculi habere, quale in paradiso habuit Adam ante transgressum.

#### CAPUT XI.

*Quid debeant observare præpositi in monasterio.*

In potestate habeant præpositi omnem regulam monasterii. Et tales præpositi eligantur, quales et ipsi abbates dignoscuntur, ut abbatum curarum onera per eos subleventur. Et hoc sibi proprium vindicent abbates cibi ac vestimenti, quod ab ipsis ministratum acceperint; et excepto in adventu fratrum, et languoris necessitate, delicatiores cibos non audeant edere abbates, nisi tales quales et fratres. Omnem vero monasterii substantiam præpositi accipient dispensandam; et si quispiam captivorum aliquid alimenti petierit abbatem, et pro quacunque causa, ipse præpositus hoc provideat, et ut abbas nullum laborem habeat, exceptis quæ supra diximus, omni intentione sollicitudinem gerat; excommunicandi tamen causam sicut abbas, sic præpositus habeat. Et quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo abbati faciat,

et hoc cum tremore, et simplicitate, et vera cordis humilitate, tanquam redditurus Domino rationem. Et quod fecerit, semper in arbitrio pendeat abbatis; nihil de sua temeritate præsumat, ne, quod abest, in morbum vanæ gloriæ cadat. Et non prodigus, sed discretus intra Christi familiam dispensator piusque gubernator ac optimus semper accedat, et evangelicum documentum observans, Dominumque dicentem, qui ait: *Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi cibum in tempore. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit sic facientem: aman dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum* (Matth. xiv).

#### CAPUT XII.

*Quid debeant observare decani.*

Decani, qui super decanias sunt constituti, tantam sollicitudinem gerant super quos delegatos habeant fratres, ut nullas proprias faciant voluntates. Non loquantur nisi interrogati; suo arbitrio nihil faciant nisi mandati; alibi non pergant, non ordinati; seniores timeant, ut dominos; ament ut parentes; faciant quidquid ab eis imperatum acceperint; credant sibi salutare quidquid illi præceperint, si hoc sine mormuratione cum hilaritate, et taciturnitate fecerint, dicente Moysse: *Audi Israel, et tace* (Deut. xxvii). *Unus alterius onera portate* (Galat. vi); et nemo neminem iudicet; nemo neminem detrahat, quia scriptum est: *Unus detractor eradicabitur*. Unus ab alio quod non habet accipiat; unus ab alio discat humilitatem; unus ab alio charitatem, unus ab alio patientiam; unus ab alio silentium; unus ab alio mansuetudinem. Comedant sine querela quidquid eis appositum fuerit; vestiant quod acceperint. Non celent fratres Decanis suis quidquid per singulos dies cogitaverint. Decani vero sint eis quasi rectores et custodes, tanquam pro ipsis rationem Domino reddituri. Negligentias cunctorum ipsi prævideant, et emendandi potestatem habeant; et quod ipsi non valuerint emendare, præposito non morentur accusare. Qui et ipsi præpositi sic hoc districte et rationabiliter agant, ut abbates suos nullo modo præsumant inquietare, excepto quod utrique non valuerint accelerare. Et in hoc unus alteri tantam humilitatem habeat, ut nunquam ullus illum offendant; sed unus in altero tanquam in penso persistat, id est, juniores in decanis, decani in præpositis, præpositi in abbatibus: unus alium portans, tanquam in muro lapides quadrati, Apostolo attestante, sicut supra: *Unus alterius onera portans, sic adimplebitis legem Christi* (Galat. vi).

#### CAPUT XIII.

*Quibus diebus se congregent ad collectam fratres.*

Omnes decani a suis præpositis admoneantur, ut cuncti fratres a minimo usque ad maximum diebus Dominicis in monasterio uno loco congregentur, ha ut ante missarum solemniam sollicitè ab abbate percunctentur, ne fortasse aliquis adversus aliquem odio livoris stimuletur, aut malitiæ jaculo vulneretur, ne intestinum virus quandoque aperte in superficiem

cutis perrumpat, et inter palmarum fructus myrrhæ amaritudo demonstretur. Primum ergo ipsi abbates cum suis præpositis atque decanis semetipsos discutiant, et ad instar suos juniores subditos arguant; et omne malitiæ fermentum prædictis diebus radicibus a suo corde evellant. Solent nonnulli pro suis uxoribus atque filiis, aut etiam quibuscunque propinquis curam habere more pietatis. Plerique vero qui non sunt in talibus implicati, pro alimento sunt solliciti. Alii vero tristitiæ morbo interius consumuntur, et tanquam vestimentum a tinea intrinsecus mentis suæ aviditate devorantur, et cum ipso rancoris languore delabuntur in desperationem. Alii namque spiritu fornicationis acris inflammantur, et sæpe tali stimulo carnis incitati, interiori oculo cæcati captivi ducuntur, vinculo perditionis ligati. Alii acidiæ spiritu inflati otio et somno vacare cupiunt, et curiosis fabulis sollicitantur, et, quod pejus est, a proprio Monasterio se auferre disponunt. Alii vanæ gloriæ elationis telo in diversis partibus confodiuntur; et alii alia defendentes, et suas causas magnificantes, dum nolunt Christi pauperibus similes esse, unusquisque in vanis istis cogitationibus elabuntur, et quasi nil a Deo acceperint de propriis viribus extolluntur; et cum laudatores non inveniunt, ipsi sibi in suis laudibus prosiliunt. Alius de genealogia, et de sua gente fatetur esse principes: alius de parentibus, alius de germanis, alius de cognatis, alius de fratribus et consanguineis, et idoneis, alius de divitiis, alius de specie juventutis, alius de bello fortitudinis, alius de perlustratione terrarum, alius de artificio, alius de sapientia, alius de assertionis eloquentia, alius de taciturnitate, alius de humilitate, alius de charitate, alius de largitate muneris; alius de castitate, alius de virginitate, alius de paupertate, alius de abstinentia, alius de orationum frequentia, alius de vigilantia, alius de obedientia, alius de abrenuntiatione rerum, alius de legendo, alius de scribendo, alius de voce modulationis. Hæc omnia, quæ supra perstrinximus, unusquisque dum aliquoties talia non jussi immoderate loquuntur, toties in elationem vanæ gloriæ delabuntur, et ex ipso morbo, dum quod dicunt vindicare contendunt, in superbiam præcipitantur. Propter hoc ergo jugiter jubemus in collecta fratres adesse, et non plusquam septem dies interponere, et per omnes dies Dominicos mores pristinos et vitia emendare. Et quis in quo deprehensus fuerit, contra ipsum vitium debet pugnare, in quo se cognoverit certamen habere. Et quod fortasse ab aliis deprehenditur, absque verecundia debet manifestare, qui hoc patitur. Quod si minime fecerit, non se putet effugere diabolus; nec se æstimet victorem, sed victum. Quod si manifestaverit, et se per penitentiam aut flagella emendaverit, continuo hostem in foveam præcipitabit et impellet.

## CAPUT XIV.

*Qualiter debent abbates esse solliciti erga excommunicatos.*

Cum excommunicatur aliquis pro culpa, mittatur

A solitarius in cellam obscuram, in solo pane et aqua, ut in vespera, post cœnam fratrum, medium accipiat paximatum, et non ad satiætatem aquam, et hoc ab abbate exsufflatum, non sanctificatum. Absque ullo solatio vel colloquio fratrum sedeat, nisi quem abbas, vel præpositi, cum eo præceperit auctoritas ut loquatur. Indutus tegmine raso aut cilicio, seminudus atque discalceatus opus monasterii exerceat excommunicatus. Si biduana vel triduana fuerit excommunicatio ejus, mittat senior qui eum excommunicavit unum de majoribus, quem probatum habet, qui eum verbis contumeliosis increpet, quod non ob religionis venerit occasionem, nec pro Christi amore, nec gehennæ pavore, sed simplicium fratrum facere disturbance. Si hæc ille patienter tulerit, et de ore ejus nulla iracundia vel murmuratio proruperit, simplicitas mentis et humilitas apparuerit; sic increpator absque immutatione verborum quod in eo præviderit abbati renuntiet. Abbas vero sollicitè et prudenter tractet, utrum verum, an imaginariam habeat patientiam, per quam possit se ad fratrum reconciliare charitatem. Secundo ejusdem meriti senem probatum ad exprobandum eum mittat, et quod primitus audivit, non facile credat. Cumque tertio ita fecerit, et pari convitio increpatus fuerit; et in priore promissionis patientia excommunicatus perduraverit, et hoc abbas per tres testes probaverit, post hæc eum ejici jubeat, et sic præsentatum per se increpet, coram conventu fratrum. Cum ita quarto fuerit tentatus, et in humilitate fuerit probatus, et fortis fuerit ut ferrum inventus, postmodum ecclesiam ingrediatur, et cingulum in manibus gestans, abbatis vel fratrum pedibus cum lacrymis provolvatur; et cum singultu et gemita genibus humo properando a cunctis veniam accipere mereatur; et ne talia poenitenda ultra committat admoneatur; et post hæc osculatus ab abbate in suo gradu recipiatur. Si certe, ut supra diximus, aliquis excommunicatus in prima interrogatione querulosus, vel murmurans apparuerit, et suas sententias superbe, vel impertune vindicaverit, et hoc senior manifestum esse cognoverit, usque in diem tertium maneat excommunicatus, ita ut nullus cum eo loquatur. Cum tertio vero die ita sciscitatus, et in superbia qua diximus, fuerit deprehensus, eosque ergastulo coarctatus perseveret, donec omnem arrogantiam superbiæ deneget. Quod si in malo perseverans perduraverit, et propria voluntate poenitentiam agere noluerit, et sæpe ac sæpe contumax et murmurator patule contra seniores vel fratres in facie perstiterit, et cum propinquis se vindicare maluerit, in collationem deductus exuatur monasterii vestibus, et induatur quas olim adduxerat secularibus, et cum confusionis nota a monasterio expellatur, ut ceteri emendentur, dum fortasse solus tali correptione ille delinquens corrigitur.

## CAPUT XV.

*Qualiter monasteria virorum ac puellarum se custodire debeant.*

Placuit sanctæ communi regulæ ut monachi cum

sororibus uno monasterio habitare non audeant, A neque oratorium commune habere præsumant, sed nec conclavi uno vel tecto quivis præ gravi necessitate manere communiter queant, ablata omni excusationis occasione. Sic ergo observare debeant, ut ipsi monachi cum sororibus, quas habent tuchdas, nunquam uno conclavi vel convivio edendi licentiam habeant; neque in communi labore opus inunctum exerceant, sed si accesserit ut unus sit æger, divisos terminos teneant, et uterque bonos custodes; in tanto silentio hoc facient, ut una classis cum altera inter se voces non mittant, exceptis recitatione et cantilenæ modulatione, aut certe gemitum aut suspirium utriusque cum suis habeant. Tanta ibique debet esse astutia, quantum fur nocturnus in pectore nostro Christum occidere festinat, et non corpora, B sed animas jugulare desiderat. Quamobrem tali cautione firmamus hanc regulam, ut nunquam solus cum sola fabulet: quod si fecerint, sciant se rumpere Patrum instituta, et cordis vitalia mortis infixisse sagittam. Pro hoc paradisi perditur vita, et supplicio tartari adipiscitur jactura. Mihi credite, non potest toto corde habitare cum Domino, qui mulierum sæpe accessibus copulatur. Per mulierem quippe aucupatus est serpens, id est diabolus, primum nostrum parentem. Et quia non Deo, sed diabolo exstitit obediens, continuo carnis injuriam sensit. Et ob hoc ergo hanc passionem filii sentimus, de qua parentes a paradisi gaudiis captivatos esse cognoscimus. Circumspiciendum proinde est, et indesinenter orandum, et totis viribus fugiendum, ne sensus nostri tali mæscipula capiantur. Solus ergo cum sola, licet in itinere se obviant, non loquatur; nulla alibi sola nisi cum altera sibi comite dirigatur. Quod si de supra taxatis quispiam solus cum sola fabulare deprehenditur, centum ictibus flagellorum extensus publice verberetur. Et qui talia facere præsumit, cum cautione admonetur, quod abusive habuerit monachorum præcepta, et hanc secundo geminaverit culpam, verberatus denuo carceri mancipatur; aut si penitere noluerit, foras projiciatur.

## CAPUT XVI.

*Quales fratres debeant cum sororibus uno in monasterio habitare.*

In monasterio puellarum procul a cella monachos D habitare mandamus: tales præbeantur pauci et perfecti, ita ut de pluribus probati eligantur, qui et de aliquanto tempore pene in monasterio senuerunt; quos semper castitatis vita commendavit, et criminalia delicta foras ecclesiam excommunicatos stare non fecit. Tales ergo in monasterio puellarum habitare debeant, qui et eis aliquid carpentarii ministerium faciant, et advenientibus fratribus hospitium debeant præparare; et super utrosque sexus juniores quasi vasorum fiant custodes. Nullam licentiam evagandi habeant sorores, et absque benedictione abbatis deinceps cum viris osculandi aut loquendi occasionem penitus non requirant, quod si aliter fecerint, regulæ subiaceant.

## CAPUT XVII.

*Qualis debeat esse consuetudo salutandi in monasteriis virorum puellarumque.*

Cum se occasio dederit ut de monasteriis virorum aliquis de abbatibus aut monachis ad monasterium veniat puellarum, ut mos est salutandi, non eas singulatim præcipimus, sed abbatissa primo, et sic omnis congregatio ad salutandum eis occurrat; et hoc pro monachis dicimus qui de longinquo veniant, non de vicinitate habitatoribus confinium. Et cum tempus remeandi ad proprias cellas fuerit, ipsi advenientes monachi similiter abbatissam cum suis sororibus, sicut primum, communiter eas salutant. Has duas vices intrandi et exeundi licentiam salutandi habere mandamus, supra facere nolumus; et hoc ipsum cum summa reverentia et cautela, tanquam si utroque communis Dominus Christus, et illarum sponsus, quasi in judicio de præsentia stet corporaliter. Zelotypus est Christus, non vult domum suam facere domum negotiationis. Cæterum vere talem consuetudinem facere mandamus, ut si in unam collationem ad audiendum verbum salutis fratres et sorores copulatæ fuerint, juxta viros sorores sedere non audeant, sed uterque sexus divisim choris sedeat. Nullus abbatum aut fratrum se præsumat deinceps ubicunque, absque imperio seniorum, osculum seniori porrigere, neque in gremium sororum veluti pacto caput declinare; neque in capite monachi, vel in vestimento, femina ad excomplanandum manus mittere audeat. Quod si ægrotans quispiam monachorum, aut de longinquo, aut de proprio monasterio, non præsumat in monasterio puellarum jacere, ne relevatus corpore, animo incipiat ægrotare. Et ut beatus Hieronymus ait: « Periculose tibi ministrat, cujus cultum semper attendis. » Ob hoc ergo omnes ægrotos monachos in monasterio virorum jacere præcipimus; et non matrem, non germanam, non uxorem, non filiam, non propinquam, non extraneam, non ancillam, non qualescunque genus mulierum viris ministrare in infirmitate mandamus; sed si accesserit ut ex supradictis aliqua cum sorbitiunculis ab abbatissa fuerit directa, sine ministro infirmorum eum visitare non audeat, nec juxta eum manere præsumat. Eadem et de viris esse mandamus. Nullus in præterita castitate confidat, quia nec Davide sanctior, nec Salomone poterit esse sapientior, quorum corda per mulieres depravata sunt. Et ne quisquam sibi de propinquitate generis castitatis fiduciam sumat, memor sit quod Thamar ab Ammon fratre suo ægritudinem simulante corrupta sit. Proinde ergo cum tali castitate fratres et sorores vivere debeant, ut non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus bonum testimonium habeant, et superstitibus sequacibus sanctitatis exemplar relinquant.

## CAPUT XVIII.

*Ut non recipiantur in monasterium nisi qui radicitus omni facultate nudati sunt.*

Comperimus per minus cauta monasteria qui cum

facultatibus suis ingressi sunt, postea tepefactos cum grandi exprobratione repetere et sæculum, quod reliquerant, ut canes ad vomitum revocare: et cum suis propinquis quod monasterio contulerant hoc extorquere, et iudices sæculares requirere, et cum senioribus monasteria dissipare, et per unum negligentem multos simplices deturbatos videmus esse. Proinde solerter prævidendum est, et omni intentione discernendum, ut tales non recipiantur, quia non pro amore Christi isti veniunt, sed vicina morte perterriti, et infirmitatis angustia compulsi, non ob amorem cœlestem incitati, sed solummodo penam formidantes inferni. De talibus Apostolus ait: *Qui timet non est perfectus in charitate, quoniam timor pœnam habet, sed perfecta charitas foras mittit timorem (I Joan. iv)*. Non sunt isti discipuli Christi, et non in Ecclesia sunt requirendi; sed in membris Antichristi inveniendi sunt: non sunt accolæ bonæ reprobationis, nec veri Israelitæ, sed de longinquo advenæ proselyti; sed neque fratribus fideles, neque in pugna inventi sunt fortes. Tales olim in Levitico Dominum cognoscimus detestasse, et in bello ne pergerent prohibuisse: *Si quis, inquit, corde pavidus est, non egrediatur ad bellum; radat, et revertatur ad domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut et ipse timore perterritus est (Deut. xx)*. De talibus in Evangelio Veritas ait: *Quam difficile est, qui pecunias habent intrare in regnum caelorum (Matth. xix)*! Nihil enim de pristinis facultatibus suis in eundem locum, ubi ingredi se petit monasterium, vel ad unum nummum recipiatur; sed et ipse manu sua cuncta pauperibus erogat; et postmodum comprobatus, monasterium sub regula introducatur, et anno integro a cunctis fratribus ex industria conviciis comprobatur. Et postquam probatus in cunctis obediens fuerit, et non hæ plumbi natura mollitus, sed acer perduraverit, ut ferrum, postmodum exuatur sæcularibus vestibus, et hædeatur monasterii religiosis simplicibus; et adnotetur in pacto cum fratribus, et vivat inter monachos probatus et ipse monachus.

#### CAPUT XIX.

*Quid in monasterio debeant observare, qui peccata graviora ir. sæculo commiserint.*

Qui gravioribus culpis et criminibus sese deliquisse cognoscunt, primum eos optamus regulæ colla submittere sub probatissimo abbate, in monasterio desudare, et cuncta retroacta peccata tanquam ægrotos medico spiritali seniori manifestare; et sicut publice peccaverunt, publice pœnitere, et pœnitenda ultra non committere; timorem de supplicio, amorem de regno, spem de misericordia habere, et nunquam desperare, quia in ultimo est extremæ vitæ, justificare aut condemnare. Scriptum est enim: *Ipse judicabit extrema terræ (I Reg. ii)*. Unumquemque Dominus in fine aut justificat, aut condemnat; et universorum finem ipse considerat, ut nec peccator, si fortiter ingemiscat, desperet veniam, nec justus de propria sanctitate confidat. Ni-

hil prodest, si aliquis de regno subtractus, a regni potentia exclusus, ferro constrictus, hodie carceri et [est] mancipatus; ita nihil obstat, si hodie a carcere quis rapitur, et regali honore constituitur. Nullus ei sordes carceris imputat; sed hoc solum laudat, quod in eo miratur. Sic nil prodest justum bene vivere, et male vitam finire; ita magnum bonum est, peccatorem ad pœnitentiam redire; olim male vivere, et postmodum bene finire, a nullo retroacta peccata imputata habere. Credimus iudicem, qualem quem in fine invenerit, talem coronare, aut certe damnare. Et quamvis sint gravia delicta, non est tamen illis de Dei misericordia desperandum. Liquide cognoscimus quod publicani et peccatores, nullo præcedente merito, qui futuri per justitiam erant damnandi, gratuita miseratione per brevem pœnitentiam sunt redempti. Sed non est in eis tam consideranda mensura temporis, quam doloris. Agat ergo unusquisque dignam pœnitentiam, secundum qualitates culparum, ut quis in quo delicto sese cognoscit reum, de eo delicto necesse est observare primum secundum instituta canonum. In lege habetur ut quis cui quantum intulerit damnum, aut fecerit cædem, aut commoverit ultionem, iudicia dirimatur iudicio; et de numerositate solidorum ad animum reducat arbitrium, ne fortasse persona potens damnet oppressum, et qui legali censura centenarium habebat incurere damnum, tertiam reddat, quod de liberis continetur. Certe nos cum essemus servi peccati, Deo miserante, et nullo nostro merito præcedente, liberi facti sumus justitiæ; et de innumeris peccaminibus in misericordissimi iudicis pendet arbitrio nostri peccati debitum; et pro centesimo pondere peccatorum iniquitatis cognoscimus opponere villicum, qui de centum cadis olei octoginta, de centum eoris tritici quinquaginta, decurtatum quæsit debitum, statim se cognovit a proprio domino esse laudatum (*Luc. xvi*). Ita plerique sunt in monasteria ingressi, qui ob immanitatem scelerum excesserunt numerum, quos sancti canones foras ecclesiæ agere pœnitentiam censuerunt; et nisi in finem vitæ communionem percipere negaverunt: nos tamen misericordiam Domini comperti, pusillanimes sumus consolati, ne gravi tristitia coarctati pereant desperati, de multitudine annorum ad brevem recurramus numerum; et tam cito eum conciliamus, quam cito eum cognoverimus in pœnitentia et humilitate fundatum. Quare et tunc medicus ab incisione suspendet ægrotum, cum eam per medicamina cognoverit esse sanandum. Cibos vero tales eis præbere mandamus, qui nec lasciviam nutriant, nec corpus nimis affligant. Carnes tamen, siceram, vel vinum eis auferre mandamus: quod si per infirmitatem, aut nimiam senectutem, aut certe aliquam necessitatem, ex his imbecillitas patuerit, in arbitrio et probitate majorum ponimus. Vestimentum vero cilicium præbere jubemus, qualiter per id compuncti per hædos a sinistris suorum semper remuiscantur peccatorum.

Lectum tamen sternere mandamus corio aut psitho, quod Latino storea nuncupatur, aut certe paleas tenues, si horum nihil habetur, exceptis infirmis, et nimia senectate defessis, uti et ipsis arbitrio foveantur abbatis. Hæc quæ supra notavimus per poenitentiam dignam, et non fictam humilitatem, unumquemque venire cognoscatis ad veram sanitatem. Amen.

## CAPUT XX.

*Quid observandum sit de monachis qui a proprio monasterio per viia dilabuntur.*

Cum aliquis per vitium dilapsus fuerit a monasterio, in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque in pacis osculum; sed continuo, vinctis post tergum manibus, abbati reducatur proprio. Quod si reversus ad sæculum fuerit, et a propinquis fretus cum eis in superbiam surrexerit, et monasterio minas intulerit, pariter et ipsi cum eo sint a laicorum concilio publice expulsi, et ab omni Christianorum conventu maneat anathematizati. Quod si et ipsi laici suo eum receperint consortio, et pariter cum eo contra monasterium exarserint, in contumeliam cuncti a nostra Ecclesia expellantur, et nullo nobiscum charitatis fœdere copulentur, quousque veritatem cognoscant, et nobiscum stantes, injurias Ecclesiæ vindicantes, pari devotione consurgant. Si certe ipsi apostatæ ab omnibus fuerint expulsi, et huc illucque vagantes diversis locis instabiles atque vacillantes suo monasterio reverti se petierint, necessitate compulsi, in conventu majorum deducantur, et ut vasa figuli in fornace probentur; et cum probati fuerint, suo monasterio reformentur; et non prima, sed ultima cathedra recipiantur.

*Explicit regula.*

## IN NOMINE DOMINI INCIPIT PACTUM.

IN NOMINE S. TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Quod corde credimus, et ore proferimus. Credimus Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. Filium solum carnem de Virgine suscepisse, et in mundum pro salute omnium in se credentium descendisse, et de Patre et Spiritu sancto nunquam recessisse. Quia ipse dixit: *Ego et Pater unum sumus (Joan. x)*. Et: *Qui me habet et Patrem habet. Et: Qui me videt, videt et Patrem (Joan. xiv)*. Idem vero dixit: *Cælum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum (Isai. lxi)*. In cœlo angeli totam Trinitatem adorant, et in terra Dominus hominibus prædicat, dicens: *Ite, vendite omnia quæ possidetis, et date pauperibus, et venite, sequimini me (Matth. xix)*. Et iterum: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Luc. ix)*. Et alibi: *Qui plus fecerit patri, aut matri, uxori, filiis, vel omnibus quæ cum mundo transeunt, quam mihi, non est me dignus (Matth. x)*. Et iterum: *Qui non odit animam suam propter me, non est me dignus (Luc. xiv)*. Et: *Qui perdidit eam propter me, in vitam æternam*

*inveniat eam (Matth. xvi)*. Proinde melius multoque melius est mundum calcare, Christum audire, Evangelium complere, vitam beatam cum angelis sanctis in æternum per omnia sæcula possidere. Proinde divino ardore accensi, ecce nos omnes, qui subter notandi sumus, Deo et tibi domino et Patri nostro tradimus animas nostras, ut secundum edictum apostolorum, et regulam, et sicut sancta Patrum præcedentium sanxit auctoritas, uno nos in cœnobio, Christo præcedente, teque docente, habitemus. Et quidquid pro salute animarum nostrarum annuntiare, docere, agere, increpare, imperare, excommunicare, secundum regulam emendare, volueris, humili corde, deposita omni arrogantia, intenta mente, desiderioque ardente, divina gratia opitulante, inexcusabiliter, Domino favente, omnia adimplebimus. Quod si aliquis ex nobis, contra regulam et tuum præceptum, murmurans, contumax, inobediens, vel calumniator extiterit, tunc habeas potestatem omnes in unum congregare, et, lecta coram omnibus regula, publice culpam probare, et flagella, seu excommunicationem, secundum intuitum culpæ, unusquisque suum reatum convictus suscipiat. Si quis sane ex nobis contra regulam occulte cum parentibus, germanis, filiis, cognatis, vel propinquis, aut certe cum fratre secum habitante consilium de absente supradicto Patre nostro inierit, habeas potestatem in unumquemque qui hoc facinus tentaverit, ut per sex menses indutus tegmine raso aut cilicio, discinctus, et discalceatus, in solo pane et aqua, in cella obscura excommunicatus sit. Quod si aliquis istam pronam voluntate noluerit agere poenitentiam, extensus nudo corpore, septuaginta et duo flagella suscipiat; et deposita veste monasterii, indutus quod in introitu exutus est scissum, notabili cum confusione a cœnobio expellatur. Et hoc de viris sive feminis dicimus. Promittimus etiam Deo et tibi Patri nostro, ut si quis sine benedictione fratrum, aut tuo imperio, per vitium ad alia loca ad habitandum transire voluerit, habeas potestatem incautam ejus persequi voluntatem, qui hoc tentaverit, et comprehensum cum senioribus judicem, ad regulæ censuram reducere; et si aliquis eum defendere voluerit episcopus, vel ejus qui sequitur ordo, aut laicus, et tua admonitione audita apud se eum retinere voluerit, communicatio illius cum diabolo sit, et participatio cum Juda Iscariot in inferno; et in præsentis sæculo excommunicatus permaneat ab omni cœtu Christiano, et nec in finem viaticum accipiat, qui hoc fecerit. Tibi vero domino nostro suggerimus, si velles, quod credi certe nobis est, et quod Deus fieri non patitur, aliquem ex nobis injuste, aut superbe, aut iracunde habere, aut certe unum diligere, et alterum livoris odio contemnere, unum imperare, alterum adulare, sicut vulgus habet, tunc habeamus et nos concessam a Deo potestatem, non superbe, non iracunde, per unamquamque decaniam præposito nostro querimoniam inferre; et præpositus tibi domino nostro humiliter



pedes deosculari, et nostram querelam ad singula pandere; et tu patienter jubeas auscultare, et in communi regula cervicem humiliare, et corripere, et emendare. Quod si te minime corripere volueris, tunc habeamus et nos potestatem cætera monasteria commonere, aut certe episcopum, qui sub regula vivit, vel catholicum Ecclesiæ defensorem comitem, et advocare ad nostram collationem, ut coram ipsis

te corripias, et cœptam regulam perficias; et non simus discipuli, subditi, seu adoptivi filii, humiles, obediens in omnibus quæ oportet; et tu demum Christo sine macula offeras nos illesos. Amen.

*Hæc sunt nomina quæ manu sua unusquisque subscriptionem vel signum in hoc pacto fecit, id est, ille, ille; vel illa, illaque.*

Explicit regula sancti Fructuosi episcopi.

## EPISTOLA AD BRAULIONEM EPISCOPUM CÆSARAUGUSTANUM.

(Vide Patrologiæ tom. LXXX, col. 690, inter Braulionis epistolas.)

### CARMINA FRUCTUOSO A QUIBUSDAM ASCRIPTA.

(Ex Florez, Espagna Sagrada.)

#### I. Carmen in laudem episcopi Narbonensis.

Pulchif... radians meritis et vitæ fovebo  
Apparet in cunctis præclarus ille triumphis  
Sic te vita pia, sic mens te cepit honesta,  
Et merito radies honor in orbe Dei.  
Data quondam tibi series, et origo præclara  
Exitit in sæculo. Enites gratiæ dono.  
Quæ namque pontifex sola sortitus opimam  
Rexit multifariter divina dignatione Narbonam.  
Sicque Beterrensem Petrus elimaverat urbem,  
Deceat ut cælicis talem copulare phalangis.

#### II. Carmen in Sisenandum regem.

Quid Sisenandum recolam gratia præcipua regem  
Popolos qui rite rexit, cunctosque refovit.  
Illustrium si exeam generoso fomite pompas,  
Ignosce ipse proprias stirpis inclita venas.  
Bonum propagine: geminæ refulgere lucernæ.  
At Lupus, Brutioque tui germani decori,  
Quibus clarissimo ditatus Britio natu  
Obtinuit legali Justam æquitate matronam  
Mihique videlicet extat unicus error  
Unicum sortita pignus mirabile nobis  
In quo retentans pii gaudia magna viri.

#### III. Carmen ad quemdam diaconum.

Hæc tua alme Deus Christi sanctæque levita,  
Et vincis merito, transcendis culmine cælos  
Stirpis origo tuæ licet nobilissimo fulta  
Eniteat præconio sanguineque præclaro:  
Quo tamen constitit amplius propagata succensu  
Tibi namque Dei summus ordo sacer gloria  
Adtributus, spes cui erat, nites vita pudica.  
Nullusque labe tacti conscia facinoris,  
Optimi more ut genti redolet virtutibus  
Læctorisque alabastro pedibus dominicis  
Preciosum fundis nectar unguine catholico.  
Delibatum ipse constans vario charismatum  
Munera et sancta carpens dona larga spiritus  
Adfuturis enim electis præmiorum sociis.

#### IV.

Cernite cuncti præsens quod pagina gestat

\* Carmen hoc non tam a Fructuoso compositum quam in laudem ipsius videtur factum.

B Sacris eloquiis quod profert ipsa sanctissima vatis:  
Fructuosi namque dulcis ex ore loquela  
Suavi emulcet.

Procedens jugiter suavi evoma permulcet  
Cunctorum corpora sistentium sibi devota  
Dulcisonis elabimur charismatum donis,  
Concentibus dulcissais,  
Promet facundo ex ore carminis almi glorificum  
[Dño. in los.

Sic denique claro intonans eloquio fandi  
Dogmatis præcelsi crebris refulsit miraculis olim,  
Claret aspectu jocundo, et hilaris semper  
Emicat jubar rutilans introrsus viri in corde dedi-  
[cato

Coruscans cælitus Paraclyti lumen infulsam,  
C Resplendens sedulle ulla sine intermissione beatum.  
Angeli ad instar intuitu vultus almi  
Sereno semperque pio cernere obtutum,  
Cunctos quos conspicit ipse docet ovans.  
Nec tantum scilicet frequenti admoet verbo,  
Quantum suo videlicet ædificat sequaces exemplo:  
Docet enim indesinenter quodcumque facit  
Quia facit instanter omne quod ipse docet.  
Sanctorum agmina beata cura alacri pernicique  
Arctam incunctanter intrare protinus per viam  
Paradisi tripudiando ocius pertingere portis  
Angelicis illico potiri choris consortio dignus.  
Martyrum catervis contubernio mox adjuuge beatis  
Regnum et æternum peremittere frui per sæcula  
[cuncta

D Linquere mundum suis cum illecebris omnem  
Temere divitias potius renuntiare opibus cunctis.  
Aurum desplicere, respicere omnino argentum,  
Parsimonix cibus ut optimo pasci.  
Tollere crucem, et pium sequi pastorem  
Qui parat eximios servis post laborem tropheos  
Ac post immensa gemitu atque semita lachrymarum  
Reddet bravii superni in exultatione triumphos.  
Parans quoque insontibus, præmia quia libere  
[queant